



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Consolatio Desperantium, Seu Conciones De Magna Dei
erga Peccatores serio poenitentes, comitate**

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1617

II. Qvo Genere Distantiæ à Christo abfuerint Publicani, & quo omnes
peccatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56142](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56142)

non sanguinitatis gradu me contingit. Dicitur apud
 Matthæum: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, fi-
 lij Abraham: Iesu filij Dauid miserere mei: Iacob genuit Io-
 seph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, & quidem ve-
 re: fuit enim filius Mariæ, fuit Dauidis, fuit & Abra-
 hæ; sed remotior multò Dauidis, quam Mariæ; multò
 autem adhuc remotior est filius Abraham.*

I. Distantiam *Specificam* appello, prout duo aliqua
 in pluribus, vel paucioribus attributis essentialibus
 conueniunt; sic maior est distantia inter hominem &
 lapidem, quam sit inter hominè & bestiam; nam ho-
 mo & lapis præter esse & corpus, nihil commune am-
 plius habent; homo autem & bestia præterquã quod
 sint corpora, etiam conueniunt, quod sint animata
 sensitiua. Atqui hic sunt varia genera distantiarum,
 eum autem iuxta Philosophos *Tot modis dicitur unum
 oppositorum, quot & reliquum*; si octo genera distanti-
 arum propolui, totidem etiam erunt viciniratis, seu
 approximationis, quæ quisque ex dictis facillè dedu-
 cere poterit. Si quæras, cur hæc tam fusè respondebo,
 ut distinctè respondeam, quam longè noster prodi-
 gus, non historicus seu litteralis, sed allegoricus, id
 est, quiuis peccator eius scemate reclusus, à patre absue-
 rit, quando eum agnouit.

II.

*QVO GENERE DISTANTIÆ
 à Christo abfuerint Publicani, & quo
 omnes peccatores.*

Qvod publicanos, & reliquos peccatores con-
 cernit, quibus Christus potissimum hanc pa-
 rabolam aptauit, de singulis eorum dici pote-
 rit, *cum adhuc longè esset*, quamuis de illis Scriptura di-
 cat, *Erant approximantes ei, ut viderent illum*: quamuis
 in communi cum illo mensa comedissent, *Quia hic
 peccatores recipit, & manducat cum illis*: hæc enim di-
 stantia non est secundum locum, ita ut imaginemur
 CHRISTVM in summo, Publicanos reuerentiæ cau-
 sa in imo mensæ confedisse. Neque etiam propterea,
 C 3 quod

quod in Parabola de Patre legimus, *Et accurrens cecidit super collum eius*, existimandum est Christum locum suum deseruisse, & cum alio inferiore committasse, tum quia probabile satis est ipsos Publicanos, qui epulum struxerant, qui ut commodius eum audirent ad cœnam inuitarunt, proximos illi adhaerisse, ut ab ore dicentis penderent: tum sub cœnam tales discursus, amplexus, & oscula imaginari parum congruit cum maiestate; & matura gravitate Iesu Christi: licet enim in moribus terrensus, aut molestus non esset; erat tamen semper, ut aiebat de alio Lucanus, *Hilaris, servata gravitate*: Deinde etiam inconstantia illa corporis, inconstantiam animi & affectuum sæpè prodit, & arguit; adeoque de iniquitate hæc dici potest:

Salust. orat in Cicer.

Aliud stans, aliud sedens de Rep. cogitat.

Duabus sellis sedet.

Et manet in nullo certa, tenaxq; loco.

Non ergo Publicani, non Peccatores reliqui, non ego, non vos localiter à Deo distamus, quamvis extremum terræ angulum inhabitarem; aut (quod Deus avertat) in imo Inferni latitarem, cum Deus totus sit in toto hoc uniuerso, *Supra omnia, intra omnia, omnia in omnibus*; cum nullus omnino locus sit, in quo vera & reali præsentia ipse non adsit: sicut omnium aures quocunque volent, semper aer occurrat: & pisces quocunque natent, in aquas impingunt: sic nos quocunque eamus, aut ubicunque simus, semper Deum præsentem habemus, & in ipsum volentes, nolentesque incurrimus.

*Ierem. 23.
Isai. 66.*

Cœlum & terram ego impleo,

Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum,

Psal. 143.

Quo ibo à spiritu tuo, & quod à facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es;

Si descendero in infernum ades:

Hic, ut Rex in Curia & throno iustè, seuerèque diiudicans; illic, ut Rex in Regia gloriose triumphans:

Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extrenis maris. Ibid.

*Etenim illuc manus tua deducet me; & tenebit me de-
strata tua: Vbiq̄ue in manu tua sum, & quasi manu cap-
tus, & captiuo collo.*

Virgilius, *Iouis omnia plena.*

Lucanus, *Iupiter est quocumq̄, vides, quocumq̄ moue-
ris.*

Virgilius,

*Spiritus intus alit, totamq̄, infusa per artus,
Mens agitat molem.*

Non longe est ab vnoquoq̄, nostrum.

Deus in medio eius non commouebitur,

Seneca, *Propè est à te Deus, tecum est, intus est.*

Atque hæc verissima esse omnes norunt, quamuis non æquè diligenter apprehendant: si enim eum vbiq̄ue præsentem semper cogitaremus, maiorem ei saltem reuerentiam exhiberemus, quamuis oculo corporeo eum non conspiceremus; sicut facerent cæci, si de præsentia sui Regis præmonerentur.

Nullam itaq̄ue distantiam localem inter Christum & Publicanos reperio, nisi dicamus, ideo à Deo elongatos esse; quia sicut notorij vsurarij sunt excommunicati, & ab Ecclesijs arcentur, & à Venerabili Sacramento prohibentur, ni prius vsuras reddant: Ita etiam tunc Publicani & notorij peccatores, passim loca sacra, Deo dicata, Synagogas aut Templum, non intrabant; aut si intrarent, iuxta illud: *Duo homines ascendebant in Templum, ut intrarent; vnus Phariseus, & alter Publicanus: illud raro contingebat, & tunc à longè consistendum erat, & Deus quasi à limine salutandus: Publicanus autem à longè stans; Et quicquid sit de hoc ingressu omnes boni similibus familiarem conuersationem tanquam excommunicatorum vitabant; & sic dicitur,*

Si ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & Publicanus. Matt. 18.

6. *Aeneid.*

Actor. 17.

Psal. 45.

Senec. li. 5.

op. 4 ad

Luciliu.

Luc. 18.

Recedite à tabernaculis hominum impiorum.

Foris canes.

Quam ergo distantiam astruemus? An temporis? Sic enim maxima distantia est inter hominem vite diariæ & momentaneæ,

Iob. 14.

Breues dies hominis sunt.

Cuius est vnus dies vitæ supra terram.

Homo diarius, qui hodie est, heri non fuit, cras non erit, & Deum suum qui est æternus, sine fine, sine initio, idem semper & immutatus permanens. Sed neque hæc distantia placet; hæc enim iustis cum peccatoribus communis est. Alia tamen distantia temporis ipsis propria est, eo quod multo tempore, imò & in infinitum ipsis proprijs viribus, absque speciali auxilio gratiæ, laborandum sit, antequam ad perfectam Iustificationem attingere possint, quo nusquam sine specialissimo Dei adiutorio pertingunt, & ad quam solis proprijs viribus naturalibus conari tantum deum est, ac si oceanum parua scapha & vnico remo absque velo transfretare, aut aduersus ventum & vndas, seu æstum simul eniti conareris.

Sine me nihil potestis facere.

Ioan.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es.

Psal.

Sanctus Petrus cum suis tota nocte laborans, nec pisciculū quidem capere poterat, donec in verbo Domini, & de auxilio eius confisus, denuo iaceret retes, *Præceptor tota nocte laborantes nihil capimus.* Vt ille, qui absque canibus & retibus venatum abit, nihil capere valet; ita multò minus peccator solum liberum suum arbitrium secum ferens, ad suam Iustificationem, & perfectam cum Deo vnionem peruenire potest.

Psal. 126.

Nisi Dominus adificauerit domum, in vanum laborauerunt qui adificant eam.

Ambulet, currat, quod lubet faciat, vt appropinet Deo, si gratia diuina destituatur, longissimè adhuc à Deo aberit, *Cum autem adhuc longè esset.* Neque enim ipsa æternitas sufficiet, vt absque gratia diuina perfectè Deo reconcilietur: quæ tamen sola vnico momento ipsum eo perducere potest. Similis est Ixioni

rotæ alligato, qui seipsum infectans, nunquam contingere potest.

Voluitur Ixion, qui se sequiturq; fugit q;.

Illâ ipsâ hora, qua Deum peccato mortali offendimus, tam longè à Deo diuertimus, & à gratia ipsius elongamur, vt ad redeundum, & eo vnde digressum erat perueniendum, tota vita nostra, quamuis totam æternitatem duraret, non sufficiat, nisi vehemens ventus diuinæ gratiæ, nos suo impetu eo repellat, & prouehat.

Præterea etiam aliam distantiam temporalem, in peccatoribus ad Deum redeuntibus, considerare licebit, scilicet, *Satisfactionis*, etiam post Iustificationem restantis, quæ interdum tam grandis est (*Grandis adhue restat via*) vt ferè impossibile sit eam absoluerè, quamuis peccator mundo ipsi coæuus esset, nisi gratia & indulgentia Dei, & merita inæstimabilia prætiôsæ Passionis Iesu Christi, defectum hunc supplerent. *Appensus es in statera & inuentus es minus habens. Dan. 5.*

Nos miseri inopes, decem millia talentorum debemus, id est, plusquam habemus, aut nos, & nostra peravaleant. Hieron. Tom. 4. in Regula. *Forstian Hoc & parvam æstimas culpam; dico tibi, quod nec pro minima Basil. assè culpatorius satisfacere mundus posset: nisi Deus ex sua pietate dignetur ignoscere.*

Etc. de Obedientia. *Leue nunquam est Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed etiam ad personam contemptum.*

Plal. Frater non redimit, redimet homo?

Et sanè difficultatem Satisfactionis satis declarauit Mater nostra Ecclesia, cum pro quoq; peccato mortali publico, septem annorum pœnitentiâ iniunxit: & proh dolor! quam multa peccata mortalia commisimus? quoties in eadem relapsi sumus? *Multiplicata sunt super capillos capitis mei: Iniquitates meæ supergressa sunt caput meum.* Huiusmodi itaque peccata quoad culpam dimissa, quantum putatis temporis requirunt, vt pœnæ debitæ per conuenientem satisfactionem satisfaciat? aut quanto tempore nos in Purgato-

gatorio detinebunt, à cœlo excludent, à Deo eiusque
Psal. 118. beatifica visione arcebut? *Longè, longè à peccatoribus
 salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.*

Deinde etiam Publicani & peccatores à Deo e-
 longantur distantia *Affectionis*, seu *Voluntatis*: Si e-
 nim verum est hominem appropinquare Deo *non pe-
 dibus, sed affectibus*, ut inquit Divus Augustinus, certe
 illi à Deo longè dici poterunt abesse, qui imperfe-
 ctam adhuc charitatem habent; qui Deo non ita affi-
 ciuntur, nec tantoperè illum, sicut decet, amant; aut
 cum ipso alia, aut contraria, aut saltem amorem Dei
 imminuentia amant; eò quod cor hominis in varias
 partes dividant, *Minus te amat, qui tecum aliquid amat.*
 aut quæ amant, nõ propter Deum, & omnia in ipsum
 referentes amant, aut per conformitatem & unio-
 nem voluntatum non omnia amant, quæ Deus amat:
 ut enim dicamur Deo adherere, non oportet nos ha-
 bere alium spiritum, aliamve voluntatem, quam ipse
 habeat.

Genes. 2. Erunt duo in carne una.

I Cor. 6. Qui adheret Domino. unus spiritus est, nam, idem est.
Cicer. in le, idem nolle, ea demum perfecta amicitia est.

Lelio. Aut sanè adhuc longè aberant, eò quod Iesum Chri-
 stum diligere amore naturali, civili, aut morali ob
 eius beneficia, & placidos mores, quomodo ali-
 quamdiu ipsi Apostoli Christum dilexerunt: non
 autem propter eius diuinitatem, aut quod filius
 Dei esset, quod est solius charitatis Theologica.
 Attamen cum prodigo nostro Evangelico iam me-
 dium itineris confecerant, eo ipso, quod peccata
 præterita detestarentur, & quicquid antea idolola-
 tricè adamauerant; & quod Deum, ac virtutes quas
 capitaliter antea oderant, nunc amare cœpissent: &
 tamen adhuc longè erant, *Cum autem adhuc longè es-
 set: idque quia Verba bona sine adverbis bonis, vana, id
 est, quia talium detestatio peccatorum, amor Dei, &
 omnes virtutes non ornabantur his vel similibus ad-
 verbis, pure, perfecte, calide; sed potius impurè, & cœt.*
Apoc. 3. *Vtinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, &*
 aut

nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.
 Detestabantur peccata, sed tepidè: amabant Deum,
 sed tepidè: medij erant inter siccum & humidum,
 inter calidum & frigidum: inter bellum & pacem:
 neque perfecti planè, neque omninò imperfecti:
 propinquiores tamen perfectioni, quam imperfe-
 ctioni: sicut aqua tepida plus caloris, quàm frigo-
 ris habet. Iam medium viæ transferant, quia affe-
 ctum peccati deposuerant: longè tamen aberant,
 quia virtutem, vt par est, nondum amabant, aut
 quia illam ob debitum finem non amabant: aut
 quia virtutes imperfectas habebant: aut quia illis
 simpliciter carebant, quæ ipsis omninò necessa-
 riæ erant: Displicebat ipsis quidem vita præterita
 propter timorem seruilem, & hanc displicentiam
Attritionem vocamus, multumque nos ad CHRIS-
 TUM approximat: longè tamen à CHRISTO
 aberant, eò quod contritione, quæ est dolor de pec-
 catis propter amorem Dei, & nos Deo omninò vi-
 cinos facit, destituerentur. Quamuis enim *Attritio*
 tantum salutis nostræ conducat & approximet Deo,
 vt comitata sacramento Pœnitentiæ nos saluet, ta-
 men sine eo tam inefficax est, & adeò remotum à Deo
 hominem relinquit, vt si cum illa sola moreretur, in
 æternum periret.

Fidem quoque habebant, quæ plus quam media
 via est, sed instar embrionis imperfectam, quia bonis
 operibus nondum animata: *Fides sine operibus mortua*
est; qua sola durante longè à Deo, & salute nostra ab-
 sumus, *Cùm autem adhuc longè esset*. Habebant quidem
 internum aliquem cordis dolorè, qui viæ maior pars
 est, nondum tamen externum, ita vt confiterentur, o-
 pera laboriosa & pœnalia Satisfactionis subirent, si-
 ne quibus longè à salute aberant, vnde Baptista: *facite*
fructus dignos Pœnitentiæ, q. d. Dolor vester & pœniten-
 tiæ, non hereat in corde tantum, sed per opera satisfa-
 ctoria in os & manus prodeat; sic Hieronymus: *An- Hic ep. ad*
tequam dignis operibus, & vera pœnitentiæ ad Patrem re- Damas.
duet antiquum. Trium dierum itinere ex de filio
Ægy. prodigo.

Ægypto retrocedendum, ut Deo nostro in deserto immolemus, Contritionis scilicet, Confessionis, & Satisfactionis: Iam iter primi diei confecerant, & ferè etiam secundi & tertij, eo ipso quod confiteri & satisfacere parati erant, & tamen longè adhuc aberant, quia magna differentia est inter dicere & facere, affectum & effectum: Infernus plenus est bonis affectibus, & desiderijs, Paradisus autem bonis effectibus & operibus, maximè quando interuenit defectus alicuius simpliciter ad salutè necessarij, tunc enim sola voluntas non sufficit. Iam præueniente gratia Dei adiuti agnoscebant & detestabantur peccata sua, & virtuosi ac boni euadere conabantur, sed charitas adhuc, & gratia iustificans illis deerat: Multum à longinqua illa regione recessit, qui peccata sua agnoscit; nam ut ait Cassiodorus super illud Psal. *Miserere mei Domine quia infirmus, &c. Magnus accessus ad Deum est cognitio infirmitatis sua.* Optare se bonum iuxta illud Psalmi: *Concupiuit anima desiderare iustificationes tuas omni tempore,* dolere se non amplius dolere de peccatis suis, insignis de Ægypto exitus est; longè tamen adhuc talis a Deo abest, donec summa illa gratia iustificans, & charitas Dei per Spiritum in corde eius diffundatur: hæc enim sola nos Deo omninò vicinos reddit, imò & vnit. Ad primam iustitiæ partem peruenerant, quia sterquilinijs peccatorum suorum valedixerunt, quia statui illi ruinoso & occasionibus peccatorum nuntium remiserunt; altera tamen iustitiæ pars, quæ in operando bonum consistit, adhuc ipsis deerat; *Declina à malo, & fac bonum,* adeoque longè adhuc aberant, *Cum autem adhuc longè esset.* Iam maiora aliquot milliaria Germanica confecerant, cum peccata sua deseruerunt, sed grandis adhuc restat via, *Sabbathi habes iter,* superest enim benè viuere, opera bona, satisfactoria, & meritoria exercere. Iam multū profecerant cum statuerunt in posterum benè facere, & probè viuere; sed longè aberant, quia nihil adhuc efficere poterant, *Video meliora, proboq;*

Deteriora sequor.

Velle

Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inu- Rom. 7.
nio.

Non quod nihil omninò sine speciali gratia operari possimus, sed quod nullum opus moraliter bonum, & meritorium, aut dispositivum per se ad vitam æternam; eò quod nondum sint in statu Gratiæ, quæ sola verum condimentum est, quod opera bona facit meritoria vitæ æternæ.

Nihilne ergò profunt desideria recta voluntatis bonæ, vires naturæ? Non, non, nihil profunt; non enim valet homo solis viribus liberi arbitrij appropinquare Deo, quicquid Cicero, Pelagij verus præcursor, ei tribuerit, cum ait:

Virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit: Nimirum rectè, propter virtutem enim iure laudamur, quod non contingeret, si illud donum à Deo, non à nobis haberemus. Cic. l. 3. de nat. Deor.
& ibidem:

Nam quis, quod bonus vir esset, gratias Dijs egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis: Iovemq; Optimum Maximum ob res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod saluos, incolumes, opulentos, copiosos: Neq; Herculi unquam decumans vult quisquam, si sapiens factus esset.

& ibidem:

Iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam à Deo petendam; à seipso sumendam esse sapientiam.

Hic enim Pelagianorum paradoxis absurdiora ascendent; illi enim quamvis non omnia gratiæ tribuerent, aiebant tamen gratiam facere, ut melius & facilius operemur, quam sine illa: peiora quoque quam Phariseus ille, qui cum Publicano in templum oraturus ascenderat, & Deo gratias agebat, quod non esset, sicut cæteri, raptor, & adulter, sicut & Publicanus hic; quia honorum suorum operum Deum faciebat authorem, aut saltem coadiutorem, *Gratias tibi ago, Luc. 18. quod non sum sicut cæteri, &c.*

Sed iterum aduertite, etiam tunc cum gratia iustificante donati sumus, longè à Deo absumus; quamvis enim ut placeamus Deo satis propinqui sumus;

non tamen omninò perfecti sumus. Iam plus quam medium itineris absoluerunt, qui à grauioribus & mortalibus peccatis exonerati sunt; longè tamen absunt, quia venialibus multis implicantur; adheret ipsis adhuc farina Ægyptiaca: Idola Laban suffurati sunt; reliquias peccatorum nondum effugerunt; leuiter circa quædam oblectamenta præsentia, aut præterita afficiuntur; quæ omnia impediunt, ne tam arctè Deo vniantur, quàm possibile est, & animæ Christianæ expediret: Vt enim perfecte vniamur Deo, necessarium omninò est, ne nutriamus affectum continuandi, aut perseuerandi in quocunque peccato veniali: Dico, ne nutriamus affectum &c. Nam ipsum peccatum veniale in hac vita omninò euitare non possumus; nam vt inquit Ambrosius. *Homopositus in terra regione carnem portans, sine peccato esse non potest: terra enim velut quidam tentationis locus est, earoque corruptela illecebra.* An non turpe & ignominiosum esset, si scientes & volentes affectum rei Deo tam displicentis, qualis est affectus peccati venialis, in conscientia nostra nutriremus? peccatum enim veniale quantumcunque exiguum est, semper tamen displicet Deo; quamuis non adeo, vt propter illud nos damnet, aut perdat: Si ergo peccatum veniale ei displiceat, certe affectus peccati venialis, nihil aliud erit, quam resoluta voluntas displicendi diuinæ suæ Maiestati, qualem ab omni generoso pectore abesse æquum est: si autem ibi sit talis anima, longe adhuc à Deo suo aberit. *Cum adhuc longè esset.* Huiusmodi enim affectus directè contrariantur deuotioni, vires Spiritus debilitant, portam tentationibus aperiunt, & faciunt, vt diuinus ille amator & sponsus animarum nostrarum, paruulas quasdam cruces in via reperiat, quibus offendatur; vt quasdam in facie maculas, in fronte rugas notet, quibus commotus tantum amorem nobis non exhibet, neque illis consolationibus spiritualibus reficit, qualibus nos refecturus erat, si conscientia nostra aliter disposita esset: Imò
ani

anima, quæ se his leuioribus sordibus inquinatam nouit, neque tam prope, neque tam sæpe sponsum suum conuenire audet, quam si de ea dici posset:

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Nullus in egregio corpore nauus inest.

Sic forte lippientes & humidi oculi Liæ effecerunt, ut minus a marito suo Iacob amaretur, quamuis eam amabiles mores, fecunditas, castitas, ius primogenitura, aliaque multa satis commendarent. Sic forte etiam Ioseph nutritius Domini, adhuc planè ignarus celestis mysterij, & antequam per Angelum de uirginitate sponsæ suæ securior redderetur, uidens illam grauidam & nesciens a quo, remisso nonnihil pristino amore, de dimittenda cogitare instituit. Efficiunt itaque peccata uenialia, aut saltem affectus corundem, ut Deus minus animas nostras amet, aut per amorem ipsis appropinquet, aut gustum diuini amoris largiatur, imò subinde deliberet se nobis paulatim subducere. O quam bene dixit Sapiens:

Musca morientes perdunt suauitatem unguenti.

quasi dicat, sicuti Muscæ, si unguento diu non insideant, sed obiter illud degustantes auolant, reliquum unguenti incorruptum relinquunt; si tamen eidem insideant ac immoriantur, illud omnino corrumpunt & destruunt; Sic etiam peccata uenialia, si obiter animam deuotam absque longiore mora percurrant, parum ei nocent: si tamen per affectum in ea hæreant, sine dubio suauitatem unguenti perdunt, spiritum deuotionis & fructum amoris diuini, quibus antea fruebatur, extinguunt. *Fæcere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.*

Exod. 5.

Non solet aranea apem melli insidentem interficere, sed tam diu suam telam ei circumtexit, ut eam à sua opella omninò impediatur: Ita etiam peccatum ueniale animam non perimit; corrumpit tamen eius deuotionem, amorem mutuum inter Deum & ipsam refrigerat, & malis habitibus

tibus & inclinationibus potentias animæ ita intrinsecat, ut solita promptitudine charitatem exercere nequeat, in quo deuotio consistit; ita tamen, ut hæc intelligantur de peccatis venialibus in conscientia per continuatum affectum residentibus.

Leue est si officiosum aliquot mendacium, vox, actio, aspectus, habitus, chorea minus honesta animam nostram inficiat, modo mox ac spirituales illæ araneæ ad conscientiam nostram intrauerint, easdem cum sedulis opibus ab alueario pectoris nostri abigamus: Si autem eas apud cor nostrum morari sinerimus, imò cum affectu easdem retinuerimus & multiplicauerimus, citissimè mel nostrum spirituale corruptum, & alueare destructum dissipatumque dolibimus: & causa abundans cur Deus à nobis elongetur erit; cur scilicet nos tam sæpè non uisitet, & ita amicè reficiat sicuti solebat, offensus uidelicet factore à mulcis illis causato. Anima etiam nostra non audebit se tam sæpè Deo præsentare; tam familiariter ipsum rogare; se plangere, &c. quia pulchritudini suæ diffidit, quam maculis & nauis, quorum sibi conscientia est, multum deformatam nouit: & sic semper verum erit: *Cum autem adhuc longè esset, &c.* Iam amplius quam itineris medium confecerant; quia bonum operari inceperant,

Dimidium facti, qui benè cœpit habet.

Dimidium plus toto.

Longè tamen adhuc aberant, quia ut numero perfectorum, ad quem anhelabant & nondum peruenerant, adscribi possent, multa eis deerant: Initium nõ est finis, ut habet Prouerbum; & plus ualeat, ut ita dicam *Accipe*, quam decem, *Accipies*: Sic Angeli abundantiore gaudio, & iubilo affecti sunt cum **IESUM CHRISTVM** Incarnatum & de Virgine natum conspexerunt, quam cum de nascituro **CHRISTO** promissionem Adamo factam intellexerunt. Amplius gauisus est senex ille Simeon, cum mortis proximus, Cygneum cantans, Saluatorem suum ab ulnis matris abreptum inter sua brachia concludebat, quam cum

sum responsum accepit à spiritu S. se non visurum mortem donec videret Christum Domini : Mercatori quoque ipsum argentum, quam promissio, aut eautio gratus est. Sic etiam apud Deum aliud est bona proposita ad effectum deducere, aliud est concipere tantum; aliud est bene viuere, aliud dicere, bene viuam, bene faciam : *Vt presenti gaudet Ecclesia sponsa, sic & eius sponsus Deus.* Petrus Rauennas. *Quomodo longè est iste qui venit? Quia non peruenit iste qui venit: Venit ad penitentiam, sed nondum peruenit ad gratiam pristini. Venit ad domum Patris, sed nondum peruenit ad gloriam vel habitus, vel honoris.*

Præterea longè à Deo abesse possumus per opinionem, seu intellectum, opinando aliquid aut credendo, quam opinandum aut credendum est: qui enim credit, aut loquitur de aliqua re, sicut Deus, ipse ei proximus est; & sic Christus Scribæ benè respondentem circa primum præceptum Decalogi, dixit: *Non longè à regno Dei.* Et hoc sensu Publicani omnia de diuinitate credentes, quæ Synagoga Iudæorum, multum in via perfectionis profecerant: quia tamen parum, aut nihil credebant de diuinitate Christi, sed ipsum opinabantur hominem optimum, Prophetam maximum, & forte suspicabantur ipsum esse illum Messiam in lege promissum, & Patribus expectatum, nihil de Deo Homine cogitantes, longè adhuc à salute aberant: Magna enim inter fidem & opinionem differentia est; illa enim est firma persuasio, hæc autem assensus cum formidine de opposito, vt loquuntur Scholæ. & sic Bernardus ait; *Fides innitur authoritati, Bern li. 5. opinio sola se verisimilitudine tuetur: opinio nihil certi habet, verum per verisimilia, quarit potius quam apprehendit. cap. 3.* Longè adhuc à Deo aberant, quia quamuis peccata ipsis displicerent, nondum tamen quantum Deo displicerent sciebant, adeoque de illis dici poterat, *Va qui dicitis malum bonum, aut saltem, Non tam malum.* Quod idem de quodam solitario seu eremita dici potest, qui cum sciret peccata multum foetere, *hæc sciebat ea tanti sceleris esse, vt etiam angelicas*

nares offenderent: legimus enim huic solitario cum Angelo hominis specie obambulanti occurrisse cōp-
 tutum quendam adolescentem balsama spirantem,
 optimeq; olentem: angelum autem percepto odore,
 immisis in nares digitis olfactum obturasse, & sub-
 iunxisse, iuuenem illum animam instar putidi cada-
 ueris graueolentem propter peccata habere, adeoq;
 subtilibus & cœlestibus naribus exosam & molesta:
 & hinc forte Matthēi 23. Maledicti, qui in extremo
 iudicio à sinistris Christi constituentur, hircis anima-
 libus fetidissimis comparantur. Simile quid de Hi-
 larione narrat in eius vita Hieronymus, cum enim ei
 Helychius ciceres virentes à quodam fratre avaro &
 proprietario primitiarum nomine oblatos apposuisset,
 mox exclamauit, *Non sentis putorem teterrimum,*
Et in cicere scetere auaritiam? Bestijs eos projice & vi-
 de si comedent? cum itaq; bobus obiecti essent, ce-
 perunt plus solito mugire & ruptis vinculis hac il-
 lacq; diffugere. *Habebat enim senex* (inquit Hierony-
 mus) *hanc gratiam, ut ex odore corporum, vestiumq;, &*
earum rerum quas quisq; tetigerat, sciret, cui demoni, vel
cui vitio subiaceret. Publicani eò quod docente Syna-
 goga credebant vnum solum Deum esse, cui gratius
 sit amare ipsum ex toto corde suo, & omnibus viribus
 suis, & proximum sicut seipsum; quam quæuis facti-
 ficia & holocausta offerre, multum in via salutis pro-
 gressi erant; sicut & ille cui respondit Christus: *Non es*
longe à regno Dei: Sed quia non omnem fidem habe-
 bant, neq; eam satis integram, aut satis firmam; neq;
 forte satis benè de pœnis inferni, aut præmijs cœli,
 immortalitate animæ, rebusq; inuisibilibus ad sta-
 tum alterius vitæ pertinentibus sentiebant, eo quod
 eorum animi sinistra opinione præuerti essent, lon-
 gè adhuc à Christo aberant; neq; enim vnico mo-
 mento in fide & virtutibus perficimur, &

Nemo repente fit summus,

nisi miraculum accedat, quod Deus quotidie non o-
 peratur; sed sicut in rebus naturalibus, vt Philosophi
 aiunt *Successive fit motus:* ita etiam in negotio morali
 vitio.

*Hieron. in
 vita Hila-
 rionis.*

vitiorum & virtutum, imò in materia fidei & Religio-
nis subito non consumamur, & in ictu oculi perfici-
mur; sed paulatim ascendit homo.

Pf. 83.

*Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum
&c. Ibunt de virtute in virtutem &c.* Sicuti de vitio in
vitium descensus est, sed multum ascensu procliuor,

Facilis descensus Avernì.

Virg. 6.

Hæc autem in fide ita se habere arguit ille, qui iam
credens Christo, dicebat, *Credo Domino, adiuua incre-
dultatem meam;* & Apostoli cum rogarent Dominum
dicentes, *Adauge nobis fidem.* & sic Apostolus ait, *Vni-
cuiq; sicut Deus diuisit, mensuram fidei;* imò pro com-
plemento fidei orans dicit, *Nocte & die abundantius
orantes, ut videamus facies vestras, & compleamus ea qua
desunt fidei vestra:* & alibi gratias agit Deo, *Quoniam,*
inquit, *supercrevit fides vestra.*

Æneid.

Luc. 17.

Rom. 12.

2. Thes. 2.

Quod manifestè intueri licet in illo Regulo, cuius
filius infirmabatur Caphernaum, qui de Christo ali-
qua credebat, alia non credebat; adeoq; acriter mo-
nitus audiuit, *Nisi signa & prodigia videritis, nõ creditis:*

Ioan. 4.

atq; ita in eodẽ erat fides, & infidelitas respectu eiuf-
dem hominis, & eiusdẽ infirmitatis; & sic vno respè-
ctu erat propè, altero longè; vnde Gregorius ait, *Qui*

Hom. 28.

in Euang.

*enim salutẽ quærebat filio, procul dubio credebat: neq; enim
ab eo quæreret salutem, quem non crederet saluatorem: &
infra: Minus in illum credidit, quem non putauit salutem
posse dare, nisi præsens esset & corpore: Si enim perfecte credi-
disset, procul dubio sciret, quia non esset locus ubi non esset
Deus lōge itaq; a Iesu Christo aberat Publicani, quia
neq; intellexerant, neq; credebant omnia, quæ ad œ-
conomia diuinæ incarnationis pertinebãt, aut certè
nõ ita vt oportebat firmiter, quæ firmitas eos Christo
viciniores effecisset, iuxta illud, *Nunc enim propior est**

Rom. 13.

nostra salus, quã cū credidimus. Atq; hæc de distãtia opi-
nionis, seu intellectus dicta sufficiãt. An inter Christũ
Publicanos & Peccatores nõ poterit aliqua distãtia si-
militudinis morũ reperiri? imò certè, eaq; vel maxima.
Huc itaq; distãtia similit. lōge a Deo suo & Iesu-Chri-
stus abesse dicã, qui quãuis sit homo, & indelebile imagi-
nẽ, sic.

D 2

ac, sig.

*Psal. 4.
Gen. 1.*

Signumque Dei cordi suo impressum gerit;

Signatum est super nos lumen vultus tui,

Creavit Deus hominem ad imaginem suam.

& secundum corpus Iesu Christo incarnato similis appareat: nullo tamen modo, aut in pauculis virtutibus & perfectionibus, & conformitate vitæ Christo similis est; & hoc sensu dicitur

Proximus illis Deo, qui scit ratione tacere.

Et iterum:

Sola Deos aequat clementia nobis.

Vt autem hoc modo viciniore simus Christo, necesse est vt ad viuum nostris moribus ipsum exprimamus, & Iesu Christo, vt ouum ouo similes efficiamus, quantum quidem vires humanæ auxilio diuinæ gratiæ adiutæ valent: si præclarum illud Christianorum nomen gestare, & gratiæ illi electioni, qua nos abque nostris meritis de massa perditionis separauit, respondere velimus:

Ad Ro. 8.

Nam quos præsciuit & prædestinavit cõformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et alibi,

1. Cor. 15.

Quotquot baptizati estis Christum induistis. & Sicut portauimus imaginem terreni, scilicet Adam, portemus & imaginem celestis, quasi dicat, sicuti fuimus; imperfecti, superbi, ambitiosi, gulosi, magis obediens matri nostræ Euæ, quam legi diuinæ, sensuales, pleni philautia, & amore proprio, contemptores cæli, admiratores & cultores terræ, prophani & irreuerentes erga Deum & Sanctos eius, supersticiosi, immisericordes, & inhumani erga homines, auari, omnia rapientes, omnia desiderantes: ita nunc Christo initiati, & per Pœnitentiam immutati conemur vitam Christu imitari, & ipsi similes effici in humilitate.

Matth. 11.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Matth. 24

In ieiunio & sobrietate, Ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

In executione diuinæ potius voluntatis, quam nostræ. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Verum-

tamen

ipsum non sicut ego volo, sed sicut tu.

In odio nostri, contemptu mundi, desiderio cœli & cœlestium, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: Gaudete, quia merces vestra copiosa est in cœlis.*

In misericordia erga miseros, *Pertransiit sanando omnes: Venit filius hominis querere & saluum facere, quod perierat: Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

In reuerentia erga Deum & res diuinas, *Ego honorifico Patrem.*

Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sum, oportebat Luc. 22
me esse?

Exiit ementes & vendentes de templo.

Matt. 21.

Zelus Domus tuæ comedit me.

Psal. 68.

In contemptu rerum mundanarum, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

In liberalitate & eleemosynarum studio: *Vendit equæ passidatis, & date eleemosynam.*

Nos denique, qui illustrissimo nomine Christiani censemur, nomine inquam, quod in terra æquè ac in cœlo bene sonat, quod nihili nisi victionem, nisi gratiam & omnem bonitatem repræsentat; quod tam suauem odorem spirat, vt ab eo tempore, quo primum Antiochiæ adinuentum est, plurimi optent potius conuersari in medio Christianorum, quam vndique reſis, balsamo, optimisque Arabiæ aromatibus circumdari.

Christi bonus odor sumus.

Sic enim primæui illi Christiani instar bene olentis Pantheræ variarum Prouinciarum & Regionum homines infideles, seu feras quasdam, ad fidem & mansuetudinem Christianam bono odore nominis sui attraxerunt, *Poste curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ob hoc tam præclarum vellus & gloriosum nomen Christiani, & quissimum est perfecta imitatio vite Christi, nos viuas effigies Iesu Christi reddere, *speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis* Sap. 7.

Sap. 7. *nitatis illius; ita ut Turcæ & Barbari aliquot Christianos intuentes putent se totidem Christos videre, sicut ille aiebat:*

Quod si, aderant vates, rebar adesse Deos, & cognoscen- tes discipulos, ex eorum moribus seu vultibus, ipsum magistrum cognoscerent;

Terent. in *Qui utramvis norit, ambas nouerit*

Prolog. *And. Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen Dissimili oratione sunt facta ac stylo.*

Galat. 1. *Ita ut cum Apostolo dicere possimus, Vivo ego, iam non ego; uiuit uero in me Christus.*

Et sicuti Mercurius in Sotiam, & Iuppiter in Amphitruonem, ut Alcumenæ illuderent, transformati, non tantum illorum facies, uerum etiam dicta & mores exprimebant apud Plautum,

Plautus *Enim uero quoniam formam cepi huius in me esse statum,*

in Amphitruo. *Decet & facta, moreque huius habere similes item:*

Sic etiam decet Christianum ipsum Christum repræsentare, non uultu, quod ipsi impossibile est; sed dictis, factis, motibus: quod sane in primitiua ecclesiastica contingebat; nam gentilis quispiam inter mille alios facile Christianum uel Christianam agnoscebat, ex modestia habitus, ex ornamento simplici capillorum, ex uerecundo aspectu, ex suauitate morum, ex maturo eloquio, ex graui incessu; ita facile inquam, ac modo Capucinus a Minorita per capucium acuminatum; Burgundus a Gallo equite per insigne crucis Burgundicæ; Cicero & Lipsius per styli proprietatem dignoscuntur.

Quamuis itaque Publicani recenter contriti essent; possent tamen adhuc dici longe à Christo esse, cum adhuc longe esset. Proximus huic, logo sed proximus intervallo, Proximi naturæ conditione, imò & fide; sed longo intervallo morum & uitæ, eo quod imperfectè perfectiones Christi imitarentur. Nondum seipso satis oderat, quamuis eorum philantia non nihil præcisa esset: Nondum maiores illas cruces & tribulationes amabant: quamuis illicitas uoluptates non quærerent, minores cruces non horrerent: Nondum magni erant elemosinarii & liberales bonorum omnium dispensatores, quam-

CONCIO SECVNDA.

quāvis aliena non raperēt, populi ruinā non quærent, & aliorū oppressione se magnos non redderent. Erant adhuc, sicut tabula rasa absque coloribus, elevationibus, umbris, solas primas picturæ lineas referens, quæ sanè longe abest à viua repræsentatione sui prototypi, seu exemplaris.

Et quid quæso nos ita à Deo elongat? *Iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Isai. 59.

Sicut exaltatur cæli à terra sic exaltata sūt via mea à vijs vestris: & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Isai. 55.

itaq; est quomodo de Public. & peccatoribus ad Christiū accedētib; vere dici possit, *cū autē adhuc longē esset.* Sed est adhuc altera distantia, quā *Dignitatis* appellauit: nemo enim adeo sēsus cōmunis expers est, quin apud Mundanos homines diuitiæ, honores, status, & fauores fortunæ faciant possessores suos alijs non habentibus digniores: cum tamen omnes æquales simus ex eodem auo Adamo proghati, ex eodem limo formati.

Omnes proximi sumus conditione terrena natiuitatis proximi est, qui tecū natus est ex Adam & Eua: inquit ni fallar Augustinus. Omnes æquali litro pretiosi sanguinis Iesu Christi redempti sumus; omnes eadem aqua baptizati; omnes ex eadem mensa eodem cibo Corporis Domini nostri Iesu Christi pascimur; omnes ad eundem Paradisum tendimus. Et tamen vnus altero maior est, hic quia Imperator est aut Rex; ille solum Dux: hic Tribunus, ille tantum Centurio: hic centum millia florenorum absq; patrimonij iactura quotannis insumere valet & Crassi diuitias possidet; ille de die in diem viuunt; nam

Et genus & formam Regina pecunia donat. & Euripides: Pecunias mihi tantum relinque; nam ex seruo statim nobilis euadam.

Inter Ecclesiasticos etiam vnus altero dignior est, quia hic Papa, Episcopus, Presbiter, Canonicus; ille primam tantum Tonsuram habet, simplex Sacellanus, aut cantor est. At inter viros Philosophos, & maximè in schola Iesu Christi, is dignitate

ceteros antecellere iudicandus est, qui sanctior, qui virtuosior, qui meritis ditior.

Nobilis est ille, quem nobilitas sua virtus. Et Hieron. ep. ad Celantiam.

Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus: Nescit Religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit. Et idem,

Ille apud Deum est potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas saeculi; sed quem deuotio fidei, & sancta vita commendat.

Ambrosius lib. de Noe & Arca cap. 4. *Probatu viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutis sunt: Etenim familia hominum splendore generis, nobilitantur: animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.*

Rogatus aliquando Socrates, quid esset Nobilitas? respondit, corporis & animæ inter se harmonia & concordia: adeoque eius discipulus Plato inter quatuor gradus Nobilitatis primum facit, qui oritur ex excellentia Magnanimitatis, & dicit eum nomen Nobilis mereri, qui proprijs & non alienis virtutibus gloriatur; vnde quidam non absone cecinit:

*Codrus
Ureolus,*

Sint tibi Gallorum Rex & Regina parentes,

Et maneat virtus pectore nulla tuo:

Non pluris faciam te, quam tibi rustica mater,

Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Pulchrè itaque Maximilianus plebeio homini bene nummato, opulentoque supplicanti, vt acceptis aliquot aureorum millibus nobilium iura ei conferret, nobilemque declararet, sapienter respondit, *Ditiozem ego te facere possem; Nobilem nullus, nisi propria virtus.*

Cicero l. 5. Tuscul. Quæst. *Quo loco, quaro, quam vim habeat illa libra Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat; in alteram corporis, & externa, tantum propendere illam boni lancem putet, vt terram & maria deprimat. Si erga virtus sit, quæ iuxta doctrinam bonorum & specialiter Iesu Christi, homines qualifi-*
cat

gat & nobilitat, sequitur illum nobiliorem, digniorem, & magis illustrem esse, qui pluribus & maiobus virtutibus ornatus est. Et sic certum est baptizatum præstare catechumeno: Baptismus enim in Baptizato maiorem scientiam supponit, quam à Catechumero exigatur; cum non, nisi sufficienter instructis, conferti soleat, *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos: qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Præterea, quia actualis susceptio Baptismi inuoluit promissionem, seu votum credendi, & faciendi, quod Christiana Religio præscribit: Catechesis autem ad hoc votum nos solum præparat. Denique susceptio Baptismi perfectè hominem iustificat, omnique gratia & virtutibus habitualibus replet, omnem culpam & penam remittit; & ad quæ omnia Catechismus solum disponit: Et quamvis non negem Catechumenum voto expetentem Baptismum, si ipsum mori cõrgerit, *Baptismo fluminis* posse saluari; pœna tamen etiam plenariè non dimittetur; neque gratia baptismatis, ita liberaliter conferetur, ac si realiter Baptismum suscepisset; & sic baptizati Catechumenis digniores, & nobiliores sunt; Baptizati sunt in regno Christi, quod in regno mundi æstimantur Principes sanguinis; Catechumeni autem sunt instar famulorum ministrantium, & mores Aulæ addiscentium. Publicani autè, & peccatores illi cum quibus Christus conuersabatur, nondum erant baptizati, sed tantum Catechumeni, addiscentes adhuc nouam illam Religionem Christianam, multo ergo minores & inferiores dignitate erant reliquis baptizatis; & sic infinitè minus digni, quam Iesus Christus, qui caput est totius Religionis Christianæ, omnesque baptizatos iustificat, & nobilitat, & sic de distantia dignitatis loquendo in ipsos etiam quadrat, *Cum autem adhuc longè esset.*

Sed ad distantiam cognationis transeamus, de qua Terentius agit cum ait,

*Lex est, ut orba, qui sint genere proximi
his nubant, & illos ducere eadem hac lex iubet.*

Terent. in
Phorm.

D 5

Et sic

Et sic proximum dicimus fratrem, sororem, patrem, matrem, de eo qui paucis à me gradibus distat, hic mihi propinquior est: qui pluribus, hic à me, vel sanguine meo remotior, imò ita remotus, ut absque dispensatione matrimonium cum eo inire possim. Religio tamen christiana illos propinquiores Christo cognatos appellat, quia eius leges diligētius exactiusq; obseruant: hinc enim fratres Christi appellantur, qui in timore & amore Dei viuunt, & mandata eius ad vnguem custodiunt, teste ipso Christo, qui aliquando frequēti auditorū corona circūdatus, & domo inclusus, ac ab assistentibus monitus matrē, fratresq; ad cūm ipsum operiri respondit, *Mater mea & fratres mei, hi sunt, qui verbū Dei audiūt, & faciūt. Qui fecerit voluntate Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.* Similiter cum quāsdā feminā exclamasset, *Beatus ventor qui te portauit, & vbera que suxisti,* cōformiter ad dicta respondit, *Quanto beati, qui audiūt verbum Dei, & custodiunt illud.* Sic etiā Apollolos fratres suos appellat dicens, *Ite, nūtiatē fratribus meis:* ita Ioan. Euangelistā obliquē fratrē nominauit, cum dixit, *Mulier ecce filius tuus: Ecce mater tua:* & Apollolus: *Iam non estis hospites & adueniē, sed estis ciues sanctorū, & domestici Dei:* & eodē sensu S. Cæcilia sponsum suum Tiburtium, cognatū appellauit, dicens, *Hodie te facor meū cognatum: quia amor Dei te fecit esse contemptorem idolorum.* Si enim, vt subtiliter aduertit S. Greg. fides virum faciat fratrem; feminam autem sororē Christi, sic etiā vnusquisq; eius mater fit, dum alios religionem Christianā docet, & Christum quodam modo in corde proximi generat; nam Hom. 3. in Euang. ait, *Sciendū nobis est, quia qui Christi frater & soror est credendo, efficitur mater predicando: Quasi enim parit Dominū, qui eū cordi audiētis infūdūt, & matrē eius efficitur, si per eius vocē amor Domini in mēte proximi generatur. Ad quā rē nobis idoneē confirmādā adest beata Felicitas, cuius hodie natalitia celebramus, qua credendo existit ancilla Christi, & predicandā facta est mater Christi. Et Apollolus, Filioli quos iterum pariterio, donec formetur Christus in vobis. Vere ita-*

Luc. 8.
Marc. 3

Ephes. 2.
Breniar
Rom. 22.
Nouem.

Greg. 8.
in Euang.

Gal. 4.

que tales Patres & Matres Christi appellari possunt.

E contrario autem iuniores Herodes, noui Pilati, reduini ab Inferis Iudæi, alteri crucifixoꝝ & latrones Iesu Christi appellandi sunt, qui suis scandalis, malis exemplis, peruersis consilijs, atheis & hæreticis opinonibus ex conscientijs infirmorum & simplicium, notitiam, timorem & amorem Dei & Iesu Christi auferunt, *ante quorum oculos Iesus Christus prescriptus est, in vobis crucifixus.* Gal. 3.

Nostri itaque Publicani & reliqui peccatores de quibus agimus, vt plurimum adhuc Catechumeni erant, ad credendum se præparabant, vitam Christianam profiteri disponebant, in Christiana Religione, nondum professi, adhuc Nouitij erant. Quia igitur in fonte Baptismali nondum Christo fidem iurauerant, *Iuram. & statui custodire iudicia iustitie tue.* neque professionem fidei fecerant, nondum fratres Christi erant, & ab eo longè aberant, nec ipsi reliquis Iudæis propinquiores erant. Si autem eius fratres non fuerint ob Baptismi defectum, multo minus Pater vel Mater, cum necdum conuertendis alijs operam darêt, alios monerent, aut catechisarent; partim ob defectum zeli sufficientis; partim ob defectum sufficientis eruditionis; partim ob defectum potestatis seu Iurisdictionis: Hæc enim officia & exercitia, sicut in Politicis regnis solent, sunt ipsius Regis, aut Principum sanguinis, verbi gratia, Papæ, Episcoporum, Sacerdotum, Doctorum, & eorum, qui in notitia mysteriorum Religionis catholicæ perfecti, consummatique sunt: Nam in ecclesia Catholica officium perfectorum spectat alios spiritualiter generare; sicuti corporaliter nemo alium generat, nisi qui iam ad maturam & perfectam ætatem peruenerit. Decet itaque catechumenos in medio Doctorum stare, aut sedere, vt Christus duodennis fecit, vel ad pedes Gamalielis cum S. Paulo audientes & interrogantes morari: Hæreticorum enim Synagoga est, vbi Catechumeni se profitentur. *Doctores: nã vt Tertullianus ait, Hæretici omnes timent, omnes scientiã pollicentur, autẽ sũt perfecti catechumeni, quã doctri-*

maxi.

maximè inter Anabaptistas, apud quos iuuentula quæpiam rebaptizata, idiota quamuis sit, & nullis literis imbuta, non aliter se in Scriptura versatam iactat, quam in suis Prophetijs Sybilla. Vt itaque quæpiam publicè doceat, & negotia Religionis pertractet, duo necessaria sunt, sufficiens eruditio, & potestas seu auctoritas iurisdictionis. Atque hæc modo ab Episcopis petenda est: nam vt inquit Eusebius l. 5. Histor. Eccles. c. 15. *Origenes apud Casaream (In Palestina) morabatur. ubi & disputandi in Ecclesia atque explanandi diuinas Scripturas ei ab Episcopis iniungebatur officium, & quidem necdum Presbyteri sibi ordinatione collata, sicut relatum inuenimus in Epistola Alexandri rescribentis Demetrio. post multum tempus hac ipsa culpanti: Scribit autem hoc modo: Quod autem addidisti in litteris tuis, quia nunquam auditum aut aliquando factum sit, vt presentibus Episcopis Laici disputent, nescio quam ob causam tam apertum mendacium asserere volueris: cū consuetudo hæc sit, vt sicubi inueniuntur, qui possint fratres instruere in Ecclesia, & consolari populum, ad tractandum semper à sanctis Episcopis inuitentur, sicut Euelpius à fratre nostri Neone apud Larandos, & Paulinus à Celso apud Iconium, & apud Synnadam Theodorus ab Attico. Non autem dubium est quod & alij plurimi in alijs locis, si quis sint, qui possint opus Dei in verbo & doctrina competenter explere, ad hoc ipsum à sanctis Episcopis inuitentur. Hæc enim ille. Carent itaque iurisdictione Carechumeni: neque etiam in discipulis adhuc, ad docendum sufficiens scientia præsumenda est. Interim prohi dolor, vt conqueritur Hieronymus ep. ad Paulinum, *Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus: hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Sed de his satis: Superest enim vltima distantia, quam specificam seu essentialem appellauit: vt hæc inter Deum & homines, reliquasque creaturas tanta est, vt secundum illam, neque homo, neque Angelus possit Deo suo appropinquare, excepto Iesu Christo, qui in vnitæ Personæ Deus simul & homo est, indi-*

individualiter & specificè: Individualiter propter unitatem Personæ; specificè autem quia novum quippiam ab omni alio genere distinctum constituit, scilicet *hominem - Deum*: ut homo erat proximus noster; ut Deus proximus Patri. Docent Theologi, quod quavis Pater, aut Spiritus S. æquè ac filius incarnari poterint, ob varias tamen causas, id non tam convenienter fieri potuisse, ut fusè ante viginti annos deduxi, cum textum illum huius Parabolæ, *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit* prosequeretur. Secundum hanc itaque distantiam verissimum semper erit, *Cum autem adhuc longè esset*: nemo enim nostrum unquam erit, & verus homo, & verus Deus, *Ægyptus Isai. 31. homo, & non Deus*. Quodam tamen sensu admittere licebit, aliquos Christo homini Deo viciniore, alios ab eo remotiores esse. Sed quomodo? dicam, audite, sed diligenter: Illi sunt Christo vicini, qui per Baptismum & fidem ipsi incorporati sunt: tales enim filij Dei fiunt, ut patet Ioannis 1. *Quotquot autem receperunt eum dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Baptizati enim fideles, quasi dij quidam per participationem sunt: unde D. Thomas: *Unigenitus siquidem Dei filius, sua divinitatis nos volens esse participes, nostram naturam assumpsit, ut homines Deos faceret factus homo*.

Et 1. Petri 1. *Per Christum maxima & pretiosa nobis promissa donavit Deus, ut per hæc efficiamini divina consortes natura, fugientes eius, qui in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*.

Sunt itaque Christo propinqui, qui veri Christiani sunt: viciniore tamen, qui sæpius Sacratissimam Communionem frequentant: in hac enim fiunt unum corpus, unus sanguis, una anima, & quasi una Deitas cum Christo Iesu, nam ut inquit Cyrillus Hierosolymitanus Carech. 4. *Concorporei, ut ita dicam, & sanguinei Christi facti estis: sic efficitur Christiferi, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus eius & sanguinem in membra nostra recipimus: sic secundum*
bea-

beatum Petrum diuina natura confortes reddimur. & alter
Cyrill. Alexandrin. c. 4. in Ioan. c. 17. Sicut enim si quis
liquefacta cera aliam ceram infuderit, alteram cum altera
per totum commisceat necesse est; sic qui carnem & sanguinem
1. Cor. 5. Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso,
& ipse in Christo inueniatur. Et sicut Modicum fermenti
totam massam fermentat, & vnica gutta aceti vini vitru
acidum facit, ita etiam Eucharistia hominem totaliter
in Deum conuertit, Non tu me mutabis in te, sed tu
mutaberis in me. Et sicut cancelli ferrei quantumuis
obsoleci & rubigine obstiti, si in paruam aliquam
Aethnam, fornacem inquam candentem, liquefacto
ferro bullientem, coniecti, mox ignem, claritatem,
nouitatem, ac pristinam pulchritudinem recipiunt,
ita vt non amplius ferrum vetus dicas, sed ignem, sed
flammam, sed ferrum nouum, quod etiam alia eiusdem
generis metalla ignire, accendere, & expurgare possit.
ita & homo per Sacram communionem Deo suo
proxime coniungitur, & in abyssu deitatis eius absorbetur,
& quasi Deus-homo cum Christo efficitur.

Sed adhuc viciniores sunt, qui vt angeli incarnati
in carne existentes, non secundum carnem viuunt,
ducentes vitam diuinam potius qua humanam; qualis
erat qui aiebat, *In carne ambulantes, non secundum
2. Cor. 10. carnem militamus, ieiunantes vt Christus; omnem festiuitatem
mortificantes, vt Christus; castè viuentes, vt Christus; mundum, omnesq;
inanes eius pompas vitroq; pede calcantes, vt Christus; deniq;
uestigijs Christi insistentes, ipsumq; adeo ad vinum representantes;
vt non minus exactè ipsum suis moribus expriment, quam S. Iacobus
Minor vultu, corporeisq; lineamentis, de quo Ignatius scripsit, De Iacobo
dicitur, quod qui videt eum, vidit Christum: & hinc ne milites eum
pro Christo abriperent, dedit eis Traditor signum, dicens: Quem
oscularus sacro ipse est &c. Taceo quod virtute Christi, vt Christus
iple miracula faciant, imò interdum maiora & magis miranda, quam eorum
Magister vnquam ediderit miracula, patrent: Et maiora horum faciet.
Et his fortè à Paulo dictum est, Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Ignat. epi
ad Ioan.
Euang.

C
mille
com
& he
mira
ne lo
spe
tiam
ad lo
ge ab
ne; d
men
rat no
Quic
qui fa
rare:
prom
furgan
&c. E
peran
venit
pletio
inter
& per
vna m
phan
prodi
ita et
à fini
les, q
tium
uenie
berit
Eurip
ras, cō
Aliud
gita.
Qu
E

Cum itaq; Publicani de quibus agimus, & ipsis si-
 miles, nondum baptizati essent, multo minus sacram
 communionem suscepissent; nondum ad sublimam
 & heroicam illam vitam processissent; nondum dono
 miraculorum clarerent; in hac prima sua conuerfio-
 ne longe adhuc à Deo aberant secundum distantiam
 specificam seu essentialem; & quamuis hanc differē-
 tiam non acciperemus personæ ad personâ, aut loci
 ad locum; sed potius virtutis ad virtutem, adhuc lon-
 ge aberant: nam Attritio multum differt à Contritio-
 ne; desiderium quoq; seipsum cognoscendi, vitam e-
 mendandi, & meliorem vitæ rationem ineundi; *Spes e-
 rat nondum res; spes tantum; messis, ut aiunt, in herba.*
 Quicquid conceperant boni propositi embrio erat,
 qui facillimè destrui poterat, & in abortum degenerare:
 Quicquid habebant nihil erat præter pulchra
 promissa & voluntates faciendi bene, *ibo, dicam, fisciâ,*
surgam, ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi
 &c. Et tamē aliquo vsq; promissis iam satisfacere coe-
 perant, & se in viam versus Patrem dederant, *Et surgens*
venit ad Patrem; verum longe ab effectu, & totali im-
 pletionem promissorum aberant; multū enim interest
 inter dicere & facere, promittere & exhibere, incipere
 & perficere; merito enim vulgare Proverbum, *Melior*
una avis in manu, quam dua in sepibus. Nam sicut mille
 phantasia, mille impedimenta occurrentia potuissent
 prodigum nostrum à suo ad Patrem itinere divertere;
 ita etiâ mille tentationes, internæ, externæ, à dextris,
 à sinistris, poterant impedire Publicanos, ipsisq; simi-
 les, quo minus ad perfectam Iustificationem, ad Bap-
 tismum, ad Pœnitentiam & Sacramentorū vsum per-
 uenire. *Multa cadunt inter calicem, supremâq; labra.* Li-
 bertum hominis arbitriū admodū variabile est, iustar
 Euripi septies de die fluit, refluit, & mutatur in ho-
 ras, *conuersioni subiacet homo,* inquit Hilar. Vult, nō vult,
 Aliud stans, aliud sedens de Republ. de se, de Deo co-
 gitat. Horatius lib. 1. ep. 1. *Pugnat sententia secunda*
Quod perijt spernit; repetit, quod nuper omisit.
Æstuat, & vitæ discorsuens ordine toto:

Hilar. in
 Matth.
 can. 5o

Diruit

Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis,

Ausonius

*Dissidet ambiguus semper mens obuia rotis
Nec voluisse homini satis est: optata recusant
Esse in honore placet, mox poenitet.*

Liberum arbitrium nostrum est instar speculi, nunc hanc, nunc illam speciem recipientis: & ut materia prima cuiusvis formae capax est, & ut meretrix quemvis amatorem admittit. Quod itaque Publicani, & alij peccatores tot bona desideria, & proposita confitendi, & satisfaciendi habuerint, principium suae conuersionis faciētes aliquosque progressi erāt: Sed haec omnia exigua erant, respectu illius, qui haec omnia & similia ipso actu cōplerat & executioni mandarat: longe itaque à portu, quem ingredi, & scopū, quem attingere oportebat, aberant. *Cum adhuc longē esset. Erant appropinquantes Iesu Publicani & peccatores, ut audirent eum.*

III.

QVI INTER CHRISTIANOS, ET aliquos haeticos longissimè à Christo Iesu absint.

SEo ò bone Iesu! quam multi Christiani, Clerici & Laici, à te longissime elongantur? *Sicut populus, sic sacerdos: atque utinam pleriq; sic.* Certè omnibus frè distantis, quas enumeravi à te seiunguntur. Ad domum Pontificis Petrus sequebatur à longè secundum distantiam localem: An non localiter, saltem ut ipsi imaginantur, à te remotissimi sunt Athei nostri: qui aut nihil amplius quam Diagoras de Deo credunt; quamuis hoc ore confiteri non audeant, sed in corde & intra dentes mussitent, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus:* aut qui opinantur Deum in caelis ita suis oblectamentis detentum teneri, ut neque mala, neque bona quae hic agimus, aduertat, ut Epicurus quondam opinatus est: sicut & illi qui dicunt.

Psal. 13.

Dicit